

# MUSICAE SACRAE MINISTERIUM

## CONSOCIATIO INTERNATIONALIS MUSICAE SACRAE

ROMA, PIAZZA S. AGOSTINO, 20/A

---

**Numerus specialis 1969**

---

### STATUTA

#### CONSOCIATIONIS INTERNATIONALIS MUSICAE SACRAE

Art. 1 Consociatio Internationalis Musicae Sacrae, canonice instituta uti persona moralis, cuius sedes Romae exstabit, vi Chirographi PAULI PP. VI „Nobile Subsidium Liturgiae” d. 22. nov. 1963, est Associatio de mandato Ecclesiae erecta ad normam n. 24 cpv. 4 Decr. „Apostolicam Actuositatem” Concilii Oecumenici Vaticani Secundi.

Art. 2 Eidem Consociationi propositum est, ut cooperationem concordemque actionem inter quam plurimos, qui sunt per orbem terrarum et ad quamlibet pertinent nationem, studiose promoveat ad Musicam Sacram excolendam eiusque assequendum progressum secundum praescripta Ecclesiae. Praesertim S. Congregationi pro Cultu Divino aliisque Apostolicae Sedis Dicasteriis quae id exoptent adiutricem operam praestat exarando vota de quaestionibus ab iisdem propositis. Insuper peculiari modo Conferentias Episcopales atque hierarchiam ecclesiasticam in regionibus Missionum adiuvat quoad omnia, quae intra limites competentiae particularis, ad cultum Musicae Sacrae spectant.

Art. 3 Consociationis Internationalis huius socii habentur qui particulari peritia in scientia vel exercitio artis Musicae Sacrae gaudent et ab auctoritate competenti in Consociationem cooptati sunt:

- a) auctoritas competens est Coetus Moderatorum accedentibus quatuor Consiliariis qui saltem quinque vota attribuat pro adscriptione uniuscuiusque novi socii.

b) qui iam socii sunt ex Institutis Musicae Sacrae a Sede Apostolica approbatis vel ex Societatibus Musicae Sacrae a legitima potestate ecclesiastica rite agnitis vel qui in Universitatibus et Academiis Musicam Artem docent absque praevis probationibus recipi possunt.

c) quae autem privatae personae in Consociationem cooptari cupiunt, testimonia certa propriae peritiae afferre debent.

Art. 4 Compages Consociationis constat e Consilio Generali, e Coetu Moderatorum, atque a Secretariatu:

a) Consilium Generale e cunctis consistit sociis simul adunatis.

b) Coetus Moderatorum, qui Consilio Generali et ipsi Consociationi moderatur, constituitur Praeside ac duobus eius vice-fungentibus; qui omnes, proponente ipso Consilio Generali, ex sociis a Summo Pontifice nominantur munereque quinque annos funguntur sed iterum proponi possunt. Eis accedunt quatuor Consiliarii a Consilio Generali ad quinquennium ex sociis electi.

c) Secretariatus constat Secretario et Arcario, qui ambo a Coetu Moderatorum absque praefinito tempore nominantur, quique Romae commorentur necesse est.

Art. 5 a) Consilium Generale de iis omnibus decernit, quae ad ipsam Consociationem pertinent. Excutit insuper et approbat relationes de opera a Coetu Moderatorum patrato. Deliberat de activitate institutionalis ipsius Consociationis et de futurorum sumptuum aestimatione et de rationibus accepti et expensi, ad Consociationem quod attinet. Nomina praetera novi Coetus Moderatorum Summo Pontifici proponit et quatuor consiliarios eiusdem Coetus Moderatorum ad quinquennium eligit.

b) Consilium Generale congregatur de more singulis quinquenniis, nisi aliter visum fuerit.

c) In Consilio Generali voto deliberativo et voce passiva omnes socii pariter gaudent.

- Art. 6 Unicuique Conferentiae Episcopali ius est ad Consilium Generale unum Delegatum mittere, qui congruenti competentia polleat et a Conferentia Episcopali eligatur. Huiusmodi Delegati praesentes omnes voce activa et quidem suffragio deliberativo gaudent in omnibus rebus de quibus in art. 5, a.
- Art. 7 Ut Consociatio Internationalis Musicae Sacrae fines proprios de quibus in art. 3, melius in dies consequi possit, in sinu Consociationis Coetus speciales constituantur qui de singulis rebus peculiaribus e. gr. de scientia Musicae, de cantu gregoriano, de polyphonia, de cantu populi, de musica comparata variae gentium indolis, de organo et de aliis id genus tractent et, quotiescumque necessitas id suadeat, congregentur, ut de argumentis propositis studia congrua instituunt et propria vota proferant.
- Art. 8 Temporibus statutis celebrentur Congressus Internationales Musicae Sacrae quibus quaestiones difficiliores generales quae ad universam Ecclesiam spectant communi consilio disceptentur.
- Art. 9 Muneris Coetus Moderatorum est Consociationi in omnibus quae ad vitam et operositatem atque ad regimen ordinarium spectant moderari et praesertim ea, quae a Consilio Generali decreta sunt, ad affectum deducere.
- Art. 10 Secretariatus ea omnia agit, quae propria sunt muneris officii a secretis et quae ad rem nummariam pertinent, ductu Praesidis aut, si casus ferat, amborum simul vice eiusdem fungentium, qui omnes, pro casu, rei periculum et onus in se recipiunt.
- Art. 11 Personam eiusdem Consociationis gerunt Praeses, aut, eo impedito, vice eiusdem fungentes unus post alium iuxta ordinem nominationis.
- Art. 12 Patrimonium Consociationis consistit e tributis sociorum, largitionibus inter vivos et mortis causa collatis a piis benefactoribus et redditibus ex operibus Consociationis exorientibus.

Art. 13 Coetus Moderatorum normas executivas horum Statutorum debet exarare, quas Consilio Generali proponat ad **discutiendum** et **approbandum**.

#### *NORMAE TRANSITORIAE*

Art. 14 Statuta haec „ad quinquennium” et „ad experimentum” approbantur.

Art. 15 Consociatio Internationalis Musicae Sacrae, **dependet** a Secretaria Status, ad normam constitutionis Apostolicae „Regimini Ecclesiae Universae” d. 15. augusti 1967.

Art. 16 Si qua horum statutorum innovatio per legitimum actum Consilii Generalis facienda esse videatur, eadem **nulla vim obligandi** habet, nisi expressa Sedis Apostolicae approbatione confirmetur.

---

Questi statuti sono stati approvati dal Santo Padre in data 28 maggio 1969 come da lettera della Segreteria di Stato del 12 giugno 1969 N. 107 727.

Mons. Johannes Overath